



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XCIX. De Impugnatione Castri Kunnigsbergk.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Poppo de Oßerna VI. Mag. Generalis Ord. Teutonici.
Helmericus de Reichenberge VI. Mag. Prov. in Prussia.*

cidit: de qua re fratres & alii qui viderant admirati fuerunt ultra modum, asserentes nunquam talia se vidisse.

ANIMADVERSIONES.

(a) PREGELAM hodiè appellamus amnem, cui affidet Regiomontum. Antiquioribus autem dicitur PREGORA vel PRIGORA. Ita habet Nicolaus Jerochinus & Auctor *Chron. antiq. Germ. in form. 4. in Bibl. Electorali Regiom.* ut & primum urbis veteris Regiomontanae Privilegium Latino sermone scriptum à Conrado de Tyrberg, Anno 1286. Prid. Cal. Martii concessum. Sed & exteri omnem illum appellant Pregor, ut Andr. Angelus in *Annal. March. p. 105.* Sed Erasmus Stella *lib. II. antiq. Boruss.* nec eum cum recentioribus Pregelam, nec cum antiquioribus Prigoram, sed PERGULUM appellat.

(b) Bergfrieden habent Chronica Germanica.

CAP. XCIX.

De

Impugnatione Castris Kunnigsbergk.

Non longe post hic Henricus (a) Monte Nattangiorum Capitaneus congregato magno Exercitu, venit ad campum Kunnigsbergk, ut impugnaret Castrum. Cui fratres cum suis armigeris occurrerunt, ex adverso se viriliter opposcentes: sed Henricus Monte prædictus videns à longe fratrem Henricum Ulenbusch tendentem balistam, accessit festinus ad eum dicens: hodiè te mittam in cælum, & transfixit eum lanceâ suâ graviter vulnerando, licet de hoc vulnere postea sanaretur: Hoc videns quidam famulus cum modicâ lanceâ, dictum Henricum vulneravit, & sic ei reddidit Talionem, de quo vulnere debilitatus cum exercitu suo infecto negotio retrocessit.

ANI-

*Poppo de Oserna VI. Magister Gen. Ordinis Teut.
Helmercius de Reichenberge VI. Mag. Prov. in Prussia.*

ANIMADVERSIO.

(a) Hercus Monte ab aliis appellatur. Henrici nomen dicitur in baptismo accepisse. *vid. sup. Cap. 84.*

CAPUT C.

*Item de eodem & quodam mirabili facto
cujusdam Balistæ.*

Nullus sufficeret ad plenum perorare, quot modis & quam variis & subtilibus Sambitæ & alii Prutheni castrum Kunnigsbergk sæpius impugnant, sic quod ex utraque parte plures occisi fuerunt & lethaliter vulnerati. Unde accidit una vice, quod Sambitæ cum Exercitu impugnantem dictum castrum, adeo infesti fuerant in hac pugna, quod quidam frater inter alios, qui se ad defensionem opposuerant, coactus fuerit relinquere balistam tensam & effugiens vix evasit, quam balistam quidam Sambita tollens suspendit ad collum suum. Alii circumstantes admirati fuerunt ultra modum, quid esset, quia prius talia non viderunt, & in diversis locis manibus attrectantes, tandem quidam per depressionem resolutâ clave, corda balistæ collum ejus præcidit, ita ut post tempus modicum exspiraret, de quo facto Prutheni balistas valdè de cætero timuerunt.

CAP. CL.

De

*Destructione oppidi Kunnigsberg sitz
in monte S. Nicolai.*

Circa Ecclesiam Parochialem (a) S. Nicolai in monte juxta

Cc 2

Ca-